

olim commemorabant, quam, cum Ottomanorum Regibus certando, infelici quodam fato amiserant. Sed non ejusmodi temporum conditionem rebantur, ut pacem cum potentissimo Rege abrumperent; neque plebis studio bella decernenda esse existimabant, quæ maris instar fluctuum modo attollitur, modo dejicitur, uti superiori cum Selimo bello compertum fuerat. Itaque Senatus decreto responsum: *Irent, de propensa in Rempublicam voluntate suis gratias agerent, egregium in eos Senatus animum testentur: verum non ejusmodi tempora esse arbitrari, ut temere quidquam moliantur, ne immaturæ libertatis specie capti, in graviora servitia se præcipitent; si benignior eorum votis aura affulserit, eamdem, quæ erga majores illorum fuerat, in se Rempublicam experturos.* Cum hoc responso dimissi legati: dona insuper addita, Stephanensi quinque, Zappaten-si quatuor auri librarum.

Neque vero minora Turcæ damna mari, quam terra patiebantur. Nam Hierosolymitani Equites, quorum Melitæ insula insuperabile munimentum atque obex barbaris est, Mahometam quæ modo dicitur, in Africa oppidum adorti, Turcis frustra obluctantibus, expugnarunt. Ex iis duo milia de Cumana portâ egressi, cædi se subduxere; quadrin-genti in captivitatem abducti: direpto oppido atque incen-so, ad triremes præda onusti, cum captivis, inspectanti-bus frustra Turcis, qui opem laturi accurrerant, sese recepe-re. Hoc ipso tempore in Aegæo atque Ionio ingens piratarum manus: Turcæ immisti Anglis obvios diripere, in omnes sæ-vire, navigia intercipere, ut negotiatores perterriti jam de deserendis commerciis cogitarent. Neque ad eos cohiben-dos ulla satis idonea remedia erant, quod ea labes latissi-mo mari propagata, nullo loco consisteret, sed vaga in omnes partes sese diffunderet. Nihil vero quod ad ea mala aver-tenda opportunum censerent, Patres omittebant; cum præ-fertim quotidie complures de illatis mercatoribus Venetis, corumque navibus, injuriis damnisque querelæ renunciarentur, nuper ab Anglis prædonibus binis navigiis captis. Quæ res Senatum impulit, ut Joannem Carolum Scaramellium, scri-bam, ad Elisabetham Angliæ Reginam mitteret, qui, ut ablata

*Senatus  
ad Epirotas  
responsum.*

*Mahome-ta a Meli-tensi-bus, ca-pta.*

*Merca-torum ob pi-ratarum in-curiones conserna-tio.*

*Joannes  
Carolus  
Scaramel-lius in An-gliam a Se-natu mitti-tur.*

re-